



## Universitätsbibliothek Paderborn

**Croesvs Et Codrvs. hoc est, Copiæ Et Inopiæ Damna vel  
Lvcra, à bono iustoq[ue] Mundi Gubernatore Deo  
Distribvta**

**Stengel, Georg**

**Ingolstadij, 1648**

§. 3. Exempla diuinæ erga pauperes curæ.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-52359](#)

quos maximè curat Mundus, minimè curat Deus; & quos despicit Mundus, protegit Deus; & quamvis vtrisque prospiciat suffi-  
cienter, pauperibus tamen prospicit etiam  
abundanter.

## §. III.

*Exempla diuinæ erga pauperes curæ.*

Ne autem in verbis duntaxat curam, quæ pauperibus est promissa, consistere arbitre-  
mur, notum est è sacris libris, non raro idem esse verbum quod factum. *Transseamus* Luc. 2. 15.  
*usq; Bethlehem*, aiunt pastores, & videamus  
hoc verbum, quod factum est, quod Dominus  
ostendit nobis. Certe, quod dicit Deus, facit;  
& quod promittit, præstat. Itaque primò  
perspicacissimus ille oculus Mundi, qui  
omnia videt, vtique etiam videt pauperes;  
neq; eos spernit, aut indignatur vel in sum-  
ma maiestatis sede constitutus. *Dominus in* Psal. 10. 3.  
*templo sancto suo*; *Dominus in cælo sedes eius*: Isa. 66. 2.  
*oculi eius in pauperem respiciunt*. Ad quem re-  
spiciam, ait, *nisi ad pauperculum?* Quod se-  
facere Christus ostendit, quando sedens con-  
tra gazophylacium aspiciebat, quomodo turba  
iacturei as in gazophylacium, & multi diuites  
iactabant multa. Cum venisset autem vidua  
una pauper, misit duo minuta, quod est qua-  
Marc. 12.  
41.  
drans

drans, & conuocans discipulos suos ait illis. Amen dico vobis, quoniam vidua hac pauper plus omnibus misit, qui miserunt in gazophylacium. Omnes enim ex eo, quod abundabat illis, miserunt; hac verò de penuria sua omnia quæ habuit misit totum victimum suum. Nonne fuit hoc respicere pauperem? Bono animo estote, pauperes, si nemo vos hominum videt, & nemo miratur, aut laudat, quod sanctè facitis, aut cùm in occulto oratis: Deum habetis & testem, & spectatorem. Hic unus est instar mille, immò supra mille. Res magna est, à Deo videri. Secundò non videt tantùm Deus pauperum inopiam, sed etiam re ipsa opitulatur, idque alios facere jubet: Cùm messueris segetes terrae tuae, non rondebis usq; ad solum superficiem terrae: nec remanentes spicas colliges. Neq; in vinea tharaemos, & grana decadentia congregabis, sed pauperibus & peregrinis carpenda dimissa.

**Leuit. 19.  
9.**

**Ibid c. 23.  
22.** Idem repetit infrà. Exemplum quām illustrē exhibuit in Moabitide Ruth, quam pauperem, sed honestissimi nominis pueram & aluit, per diuitem virum Booz, & deniq; etiam opulentavit? In novo autem testamento, ut patesceret, etiam in spiritu libus peculiarem eorum haberi rationem,

**Ruth. 2.8.**

p. 111

pauperes Euangelizantur, ait Seruator; ne  
superba opulentia putet, Redemtorē tan-  
tūm diuitum ac magnatum caussā venisse.  
Tertiō; res ipsa mouet misericordem patrē.  
Si enim vel terrenus pater ē duobus filijs  
vnum in bene instructa naui ludentē videat,  
alterū inter vndas ac vortices luctantē, cui  
cetiū succurret? Ita Deus vtiq; citiū ope  
afferet ope indigenti, cuius ipsa miseria  
mouet misericordem. Si enim Iob aiebat:  
*Flebam quondam super eo, qui afflictus erat,* & Iob. 30.  
*compatiebatur anima mea pauperi;* quanto 25.  
magis putandum est, flecti & affici eum mi-  
sericordia, qui afflictionem atque inopiam  
longē habet cognitiorem? & cuius miseri-  
cordia est, super omnia opera eius, quæ tamen  
sunt magna, & mirabilia nimis? Quocirca  
eam olim legem tulit: *Si unus de fratribus  
tuis, qui morantur intra portas ciuitatis tuae,  
in terra, quam Dominus Deus tuus datus  
est tibi, ad paupertatem venerit: non obdurabis  
cor tuum, nec contrahes manum, sed aperies  
eam pauperi, & dabis mutuum, quo eum indi-  
gere perspexeris.*

§. IV.

*Cur DEVS quosdam pauperes non statim  
junet?*

Quartō

Deuter.  
15. 7.